

DESCRPTIO POMPÆ,

RESTITUTIONIS ORNAMENTORUM EQUESTRIS ORDINIS A PERISCELIDE GUSTAVI MAGNI.

CUM ÆNEIS TABULIS.

DESCRPTIO POMPÆ,
 QUA EQUESTRIS ORDINIS A PERISCELIDE VULGO
 Garteri ornamenta, quæ penes se habuerat GUSTAVUS MAGNUS, serenissimo
 Magnæ Britannie Regi CAROLO, ab illusterrimo Suecorum Legato IOHANNES SKYTTA, L. Barone in
 Duxerit / Domino in Gresham / Senatum & Privilegium Equitum, Regi Suecæ Confessario, Academiæ P. S. S. S. S.
 Cancellario, Generali Governatore Livoniae, Intra & Curia, Iudice Provinciali Finlandiæ Septentrionalis, Regis
 Iudici, quod per universum Regnum Gothorum est, Supremo Profide, solemniter restitueretur.
 ANNO 1659, die xxviii Aprilis.

Meruerat GUSTAVI MAGNI virtus, ut quæ apud hostes terroris ac
 fortitudinis, eadem apud amicos & federatos amoris atque honoris sui
 testimonia monumentaque posteritas haberet. Er habuit, cum in orbe
 uniuerso, cuius nullus angulus existeret, quem non Gustavianum nomi-
 nis gloria impleverit, tum præcipue in Britannia, ejuſque sapientissimo
 Rege CAROLO, qui insigni, & præ cæteris maxime illustri memoran-
 do exemplo GUSTAVUM MAGNUM celebravit anno 1659, cum iam
 cum jam decora ipsius, non tumores, sed insignes parti ex Moschis & Polonis triumphis
 ubique circumferrent, captaeque tot provinciae, tot arces, tot præclara vulnera, tot præ-
 lia propria manu pugnata, & jam in ipsa Polonia Borussia, Gustavum unum & sine exem-
 plo Regem loquerentur. Misso in hoc eodem tempore Legato suo Domino Spenſio, L.
 Barone in Orchemolm, Garteri ornamenta Regi Suecorum detulit, quod summum Britan-
 niam habet affectus & virtutis testimonium. Recepti illa Rex a Rege, quem ob sangui-
 nis, amicitiae atque federum vincula, tum per virtutem atque potentiam sibi proximum
 habebat; recepti in loco, qui trium annorum continuatas laures, nec alii antea in Bo-
 rusſia concessas, ipsi circumdederat; recepti denique eâ pompâ atque honore, qui non
 nisi gentium victores, tantique ordinis tantum collatorum deceret, totis nimirum exer-
 citibus, non suo tantum, sed & hostili prospectantibus, atque ceremoniis obcendis vix
 tempus præbentibus. Nec minor esse debuerat restitutionis ornamentorum dicti ordi-
 nis magnificentia. Igitur postquam ultimo officio defuncta, atque Magni Regis cine-
 res, veluti virtutis testimonia, ad tumulum usque anno præcedenti comitata eadem orna-
 menta fuissent: iis solenni legatione restituendis missus in Angliam Illustrissimus, &
 excellentissimus Dominus, Johannes Skytte, Baro Duderhove, Regni Senator, Gubernator
 Livoniae: idem qui primo a Rege CAROLO IX, posteaque à filio successore GUS-
 TAVO MAGNO, nunc tertium eodem Legatus ab illius nepote, huius filia CHRISTINA,
 serenissima Suecorum Regina designata. Nec in se quicquam desiderari passus est Se-
 renissimus Magnæ Britannie Rex, quod & memoriam virtutum & ornamenta eorundem
 non novis tantum, sed ex ipsa antiquitate eritis honoribus coleret atque profecqueretur.
 Jamque de eorum ratione atque modo cum Comite Arundellio, aliisque præcipuis Gar-
 teri ordinis Sociis, atque rege armorum Rex consilia inierat, cum per equitem Fenes,
 Magistrum Ceremoniarum, significandum Legato curavit, ipsum postredie ad secundam
 horam pomeridianam decrevisse in conventu Sociorum ordinis, pleneque ejuſdem con-
 cessu ornamenta GUSTAVI MAGNI in manibus Legati recipere, tanto quantus un-
 quam præstiti possent, tantarum virtutum Regi, honore; cum aliis non nisi in præsen-
 tia Magni Camerarii ac restitui mos haberet. Dies erat octavus & decimus Aprilis,
 quando Legatus in curia Regis per Magistrum Ceremoniarum deductus est. Cum au-
 tem ad majorem aulam portam esset perventum, alio curru veſti quatuor Nobiles primi
 eodem exivere: proximeque singulati Legatum præcuntes, diversas ornamentorum
 partes lineo pretiosissimo velatas, exque illo in pulvinum ex ferico propendentes, ge-
 stabant. Et primo quidem loco toga illusterrimi ordinis gestabatur, ex ferico cocci-
 neo; simulque codex, in quo leges & statuta Ordinis continebantur. Secundo, toga
 Ordinis ex ferico violacei coloris. Tertio, ipsa periscelide. Quarto torques Ordinis
 ex auro variegato, roſis plurimis distinctus, addita utraque S. Georgii imagine majori
 & minori, ex pretiosissimis confecta lapidibus, immensi pretii spectabatur. Hoc mo-
 do inferiorem Aulam obvia via transgressi, cæteris, qui in comitatu, Nobilibus præ-
 cedentibus, & Agente in rebus Suecorum, atque etiam Magistro Ceremoniarum, utrum-
 que Legati latus claudentibus, in conclave, quod Consilii vocant, pervenerunt. Ubi
 cum constitissent paulatim, statim adfuerunt duo ex primis Garteri ordinis Equitibus, Co-
 mes de Penbroc, magnus cubicularius Regiæ Domus, & Comes d'Arondel, magnus
 Angliæ Mareſchallus, solennibus Ordinibus vestibus induti, quos princeps Heraldorum,
 & Apparitor ordinis, seu l'Hayſter de l'Ordre præcedebant. Illi Legato Regis sui nomi-
 ne salutato cum in cubicularium Regium deduxerunt, ubi Rex ipse, cæterisque ordinis Gar-
 teri consistebant.

Ordo euntium sic sese habuit. Qui in comitatu Legati, bini omnes præce-
 debant. Hos Heraldos duodecim sequebantur, bini tridem, ac paludamentis suis ornati.
 Hos excepit rex armorum, qui pulvino ex ferico coccinio ornata, de quibus jam præ-
 dictum, recepta in conclave Consilii à Legati Nobilibus, gestabat. Cui aderat in par-
 tem oneris apparitor ordinis, uterque solennibus vestimentis ornatus, togis nimirum
 ex ferico coccinio coloris, superinſcripto multico candidissimo.
 Mox prodijt Legatus à dextra Comite de Penbroc, à sinistra Comite de Arondel
 stipatus. Post quos Agens in rebus & Magister ceremoniarum proxime sequebantur.
 Ex quo ad conclave regium est perventum (ubi oculis foribus Collegium illusterrimi
 Ordinis erat) præcipui nobilium ex comitatu Legati, Agens in rebus & Magister cere-
 moniarum, venia obtenta, ingressi sunt. Sed denud restiterunt, quam primum Re-
 gem confpexere, qui fergens aulæ inſiſtebat. Inferiore loco Equites quatuor utrim-
 que à Regis latere conspiciebantur, ut de duobus illis, qui introducebant Legatum, Or-
 dinis prælato, Cancellario, Graphiario, qui solennibus vestibus induti adſtabant, nihil
 jam dicam. Sic excepit est à Rege Legatus, qui, recepto more, ter debuit munus
 Regi exhibuit, scilicet primo statim ingressu, deinde in medietate conclavis, ter-
 tio denique cum aulam confcenderet, proximus jam Regi. Post illo, capite teſto,
 pulcherrimam orationem Latine dixit, quæ fere per mediæ spatium audiebatur: &
 talis erat.

SERENISSIME POTENTISSIMEQUE REX,
 DOMINE CLEMENTISSIME,

Nemini potest esse obscurum, quod ab omni ævo, omnibus omnino populis &
 nationibus in more & usu positum fuerit, homines ob præclara facta varijs præ-
 mijs atque honoribus afficere, tum ut fortitudinem acuerent & virtutem confere-
 rent, tum ut robur & disciplinam tenerent.
 Qua quidem re procuratum videmus, ut Equeſtris etiam dignitas inde & ex hac
 occasione originem cepit, & postmodum per omnes feræ ætates validissimo roboris
 incremento aucta & amplificata fuerit. Ac licet in tantâ ejuſdem copiâ & varietate
 difficile videatur iudicare, quæ species alteri prævalere debeat & quali palmarum prære-
 pe, si quis tamen paulo altius hoc ipsum ponderaverit, deprehendet veterum illorum
 honores, dignitates ac privilegia cum Garteri ordine non esse comparanda. Permite-
 re mihi Serenissime Rex, ut in augustâ & nobili hac coronâ ordinis periscelidis decora
 accuratius contempler & quid mihi inſuper in mandatis sit datum, humillimè referam.
 Edwardi Tertij incredibilis virtutem atque fortitudinem omnis posteritas in hunc
 usque diem semper est admirata, qui cum à vultuſſimis Angliæ Regibus originem tra-
 xerit, nulli veterum, tum rerum gestarum gloria, tum invictissimi animi magnitudine,
 tum summâ felicitatis admiratione, videtur esse postpondendus.
 Ab hoc, inquam heroe laudatissimo & fortissimo, cum ordo hic Garteri exco-
 gitatus sit & inventus, quid tanto instituto potest esse nobilissimum, quid præclarissimum? Sum-
 ma quoque dignitas huius ordinis ex eo oboritur, quod non modo præcipua nobilitatis
 viri, potentissimi Duces ac Principes, verum etiam Imperatores, Reges, eorumque li-
 beri pulcherrimo hoc honore semper fuerint cumulati.
 Magnificentiam dicti ordinis commendabit, tum quod candidatus egregijs & ad-
 mirandis ornamentis inveſtiatur, inſtallatur & amicitur; tum quod ipſo die Georgij
 honorificentissimo superiori & inferiorum concursu mirifice condecoratur, illustretur.
 Quomodo vero Sacra veſtra Regia Majestas evidentibus rationibus com-
 mota clementis, meæ Regiæ Parentem invictissimum herodem hoc ipſo periscelidis



spendere cumulandum iudicavit; ita exhibitio illa vel hoc nomine longè fuit clarissima, quod spectante universo pe-
 nè exercitio inter vehementissimam bellicorum tormentorum dispositionem per vestros deputatos & quidem in ipsius
 Borusliæ vicibus facta sit. Ad omnem itaque posteritatem memoriam commendatissimum erit, quod licet exi-
 gium tum temporis exierit intervallum inter nostrum & hostis exercitum, aded ut convenientius tanto heroi fuisset
 nonnullis vitem fuerit de corporis sui defensione, quam de honoris alicuius accessione cogitare, reſcitis tamen o-
 mnibus periculis passus sit sibi & tribui honorem condignum, & in odium huius clarissimi societatem se cooptari.

Nec faciliè dixerim, utrum huic accessioni plus dignitatis illatum ex eundem ordine offereat, an verò re-
 recipiente, ita enim utrumque Majestatem veſtrarum dignitas hic elucet, ita æquabili linc inmittitur, ut discerni
 non faciliè attendatur.
 Ac licet inſtanſis mihi jam porrigatur campus in laudes utriusque Sacræ veſtræ Regiæ Majestatis exſpaciandi,
 cum tamen ita comparatum sit, ut quò quisque laude dignior sit, eò minus patiantur laudes suas celebrari, non ve-
 licabor in præſentiarum tantis Majestatum veſtrarum virtutibus, sed ea tantum referam, que sine summa ingratum
 animi nota non possunt præteriri. Successit Sacra veſtra Regia Majestas Parenti suo, gloriosissimæ recordationis in
 ter regnorum administrationem, & quidem ita successit, ut non solum paternis veſtigijs laudabiliter inhereret, verum
 etiam paternarum virtutum dignissimum se ostendat heredem, pacem rem beatissimam omni studio complectatur,
 subditis suis & quietem & omnium rerum affluentiam benignissimè procuret.

Et quid est, quod Sacram veſtram Regiam Majestatem inſinitis hominibus amabilem magis reddere possit,
 quam omnium bonorum de eadem singulari iudicium? Etenim cum omnibus patet, eandem naturam & propè di-
 vina quædam propensionem in eas virtutes & ornamenta, quibus vita hæc humana fulcitur, ferri, & ab omnibus iis vi-
 titis, quibus contamineatur, ferè abhorre, cumque vita veſtra omnis sit candoris, integritatis, castitatis & hone-
 statis plenissima, non potest mihi vitio verti si oblata hæc occasione illud ipsum jam commemorare, apertèque dicam,
 nullum præter Sacram veſtram Regiam Majestatem tum extitisse excellentiorem Regem & digniorem, qui ita am-
 plissimum & à proavis fortissimis acceptorum honorum ornamenta tanto Regi tribuere & conferre poterit. Re-
 gis deinde huius incomparabilis qualitates si accuratius contemplant fuerimus, nemo inficiabitur, quin omni hono-
 rum genere fuerit dignissimus. Habuit in Patrem & Avum, qui indefesso studio ea semper consilia tractarunt, que
 non solum ad pacis tranquillitatem togæque felicitatem in antiquissimis Suecorum & Gothorum regnis conservandam,
 verum etiam ad armorum bene gerendorum gloriam, bellicarumque rationum & militaris disciplinæ admini-
 strationem fovendam pertinent.

His cum progenitoribus ortus esset, industria & labore incredibili, atque aded brevi temporis spacio eò per-
 venit, ut non solum illis par, verum etiam longè clarior & celebratior fuerit, cumque horrendæ ejuſdem virtutis amo-
 re inter omnes mortales teneretur, talem se in vita sua exhibuit, ut omnes virtutes numeros, quoad ejuſ ab homine
 fieri potuit, explere conatus sit, & tanta quidem constantia, iis sudoribus & vigilijs, ut eum à tam laudabili propo-
 sito nec rei magnitudo deterere, nec ulla voluptas avocare poterit.
 Ab incunabulis præclarissimarum artium & lingvarum studio ita vehementer invigilavit, ut postquam ad adu-
 ltiorem ætatem pervenisset, ad miraculum usque se iis oblectaret, nec bonorum & optimorum authorum lætione in
 ipſis caltris atque aded in hostium suorum quasi conspectu abſtinerit.

Tantus præterea in hoc heroe fuit amor & sollicitudo conservandæ religionis, & libertatis in Germania, ut
 cum ejuſdem Principes intolerando quodam servituti iugo premerentur, eos non solum adversus hostium ferociam
 tutatus sit, verum etiam in avitos Ducatus, unde expulsi fuerant, magna sua gloria, maxima ipsorum læticia, magno
 cum hostium dedecore per vim fortissimè reduxerit, & illis bis pristinam dignitatem reddiderit, quam si iidem jam
 voluerit deserere, sibi suæque concordie in posterum imputabant.

Ac licet præter ipsam Dei benignitatem aliam etiam postesse exhiberi rationes, quibus heros hic innoxius tam ar-
 dum opus aggredi voluit, nulla tamen accommodatior & certior constituetur, quam scientia rei militaris & forti-
 tudo quædam distincta. Etenim cum post mortem laudatissimi Parentis triplici bello, puta, Danico, Polonico, &
 Mufcoviticis inſtrueretur, ita se bellicis artibus totum consecravit, ut quibus expalluerit, nunquam Imperatoribus
 non immerito fuerit comparandus. Ad hanc rem promissus expeditandam, ita cum Deus & Natura fixerant, ut
 visis hostibus vel in summo vite periculo constitutus nunquam trepidaret, nunquam expalluerit, nunquam aſu-
 lerit & strages horrendas confecerit, atque aded nobilissimas provincias incredibili robore extorsit, regno Sveco-
 rum per se longè amplissimo gloriosissime adiecit. Eximia hac militaris disciplinæ administratione ita orbi terra-

rum innotuit, ut Reges Principesque complures, & infiniti præterea homines ad eum
 amandum & colendum sint inflammati.

Non inficiaberis, Serenissime Rex, quin cum ob alias rationes, tum potissimum
 ob rei bellicæ gloriam, ordinis Garteri decora illi tribueris. Serenissimo Danicæ Regi
 placuit filium suum Udalricum Gustavo huic Magno de meliori notâ commendare, quod
 sub illius ductu in Borusſia tyrocinia militaria adſciceret. Serenissimo item Regi Bo-
 hemicæ commodum valde fuit in caltra huius herois pervenisse, ut eò citius provincias
 sibi ereptas recuperaret.

Uladius Rex Poloniae licet hostis eam de agnato suo fortitudinis militaris con-
 cepere opinionem, ut nisi humanis rebus ereptus fuisset Magnus hic GUSTAVUS, o-
 pera illius uti voluerit in sopiendis disidijs inter se & Magnum Mufcoviticæ Ducem.
 Idem verò Mufcoviticæ Dux cum Patre Patriarchâ, quem Mufcoviticæ sanctissimum
 appellant, tanti æstimavit Regis nostri bellicæ rationes, ut eos haud puduerit eodem
 uti ductore. Quorum quidem Principum benevolentia in Regem GUSTAVUM tam
 vehementer apparuit, ut cum iidem accepto nuncio, de Lipsiensi pugnâ, immensos
 triumphos in ejus honorem per imperium Mufcoviticum instituerent, ab omni ævo
 tale quid in ejuſdem vicibus contigisse vix ac ne vix quidem fit animadvertit. Er
 quæ res alia Christianissimum Gallie Regem Ludovicum XIII. commovit, ut huic he-
 roicæ archissimo federis & amicitiae vinculo copularetur, quo Austriacæ domus omnibus
 Regibus & Principibus potentiam reformandam comprimeret & afflicta Germania
 sit curaret, nisi quod cum fortissimum & ad tantam provinciam obendum accom-
 modatissimum esse, suo etiam suffragio comprobaret, totique terrarum Orbi declararet.

Fœdera que Rex noster inierat cum Præpotentibus Ordinibus confœderati Belgij,
 cum Principibus & Reſpublicis Germaniæ quod aliud testantur, quam summam in eo
 extitisse animi magnitudinem & robur invictum: ut interim silentio involvam Beth-
 lemi Gaboris Transylvaniae, Helvetiorum, & quorundam Italiae Principum in eundem
 propensionem singularem.

Magnus ille Præcopiosus Tartarorum Chamus triginta hominum millia in u-
 num Regis nostri se ex finibus suis educiturum obtulerat, si is uti voluisset. Fando
 denique exprimi non potest, quomodo incomparabilis huius Regis fama per Otomanni-
 cum imperium fuerit pervagata. Acquisivit Svecis & Gothis hac ipsâ, ut eos & à con-
 temptu aliorum populorum vindicaverit, & effecerit simul, ut pro fortissimis militibus
 ab ipsis hostibus agniti & celebrati fuerint.

Tot itaque & tanta cum fuerint MAGNI GUSTAVI Regis ornamenta, cum no-
 men ejuſdem per infinita terrarum spacia inlaucruerit, cum denique facta illius, tot ho-
 stibus debellatis ac prostratis, Svecici nominis gloriam ubique circumulerint, nonne
 dignissimum iudicabitur, cui hic honos, hic splendor conferri debeat?

Verum enimverò cum Deo visum fit invictissimum hunc Regem, & cuius parem
 Septentrio nunquam vidit, bellatorem, triumphantem perpetuum, rebus humanis e-
 ripere, cumque ordinis Garteri statuta iubeant, ut post excessum uniuersique signa,
 & ornamenta remittantur: in mandatis tibi mihi dedit Serenissima mea Regina, ut
 non solum legibus præscriptis satisfacerem, verum etiam moram excularem.

Agnovit abundè Sacra tua Regia Majestas cum gente Suecorum universâ Sacræ
 veſtræ Regiæ Majestatis in defendendis hinc honoribus affectionem inſtitutam & benevo-
 lentiam singularem.

Nunquam intermittere ea procurare, que ad veſtrum & Britannicæ gentis splen-
 dorem amplificandum conducunt.

Inter alia Sacra tua Regia Majestas exoptat à Deo immortalis, ut quemadmodum
 hic ordo ab exiguis initijs in maximum dignitatis culmen ascendit: ita etiam per lon-
 gissimam annorum spacia felicissimo & duraturo incremento ad omnem posteritatem ro-
 boretur, conservetur, propagetur.

DIXI.

Ita ad finem perducta, Rex Heraldorum, qui insignia Ordinis hæctenus flexis ge-
 nibus, brachijs complexus fuerat, Legato exhibuit, Legatus Regi, Rex Cancellario,
 qui ea recepit, & Oratione Gallica, in hunc modum usus, merita maximi Suecorum
 Regis commendavit.

LE Roy mon Maître (Souverain de l'Ordre de la Jarrière) m'a commandé de vous dire,
 Qu'il reçoit de sa main avec fort grand regret ces Enseignes de l'Ordre, elles renouellent à
 sa Majesté & luy font remonstrent la grande perte qu'il a faite en la Personne du Roy de
 Suede son bon Frere. Il estoit Prince dont l'amitié estoit fort chere à sa Majesté, comme celuy
 qui pour le rendre plus estroitte avoit montré un desir affectueux d'estre receu au nombre de Con-
 freres de ceste Ordre. Durant la vie de le grand Roy vostre Maître, sa Majesté a fait une
 grande estime de sa Personne à l'egal de ses merites, & de ses vertus qui furent vrayement Roy-
 ales, & depuis la mort le Roy a fait le meſme de sa memoire, & à fin que la posterité peult aussi
 prendre cognoissance de l'amitié & affection qui a este entre sa Majesté, & ce grand Prince, le
 Roy a donné un commandement expres, que aux Archives de l'Ordre sa memoire fut conscrvée
 au rang des plus Grands & des plus valeureux Princes qui luy ont deuancez, & qui ont rendu
 par tant de Siecles ceste Ordre si Auguste.

Cest (Monſieur) le sommaire de ce que j'avois à vous dire de la part du Roy mon Mai-
 stre le Suerain de l'Ordre: Pour ce qui est des autres Confreres, & principalement de Messieurs
 les Chevaliers icy presents, sa Majesté m'a donné permission de vous dire de leur part.
 Qu'ils regrettent avec le Roy leur Maître, la perte d'un si grand Prince comme a este le vostre.
 Et raiſeront, pour le dernier deuoir qu'ilz doivent à sa vertu, de rendre à sa memoire autant
 de respect & de l'honneur qu'ilz eussent Volontiers rendu à sa personne.

Et pour mon particulier, la Couſtume (qui est observée en telles occasions) me com-
 mandoit de dire quelque chose à la louange de ce grand Roy, qui estant Confrere de l'Ordre est mort
 victorieux entre les armes, mais quant ie considère que vous l'avez desja si bien fait par vo-
 tre belle Oraison (qui a este par tout remply d'autant de verité que d'Eloquence) qu'il me seroit im-
 possible d'en parler apres, sans faire tort à moismes & sans grande prejudice à une si haute
 vertu; j'ay pensé doncques qu'il seroit convenable tant pour le subiect que pour mon deuoir de
 laisser entièrement à la Renommée ce qui meſt tellement impossible de exprimer en paroles.

Mox portis Capituli apertis, Rex quatuor primi loci nobiles ex comitatu Legati,
 nempe Jacobum Skytte, Dominum in Duderhoff, Gabrielem Oxenſternum, Domi-
 num in Morby, Johannem Krüus, ab Harvila, & Gustavum Banerium, in Equeſtris
 ordinis dignitatem solenniter coopravit, gladium in hoc ipſi porrigente primæ dignita-
 tionis in Anglia Comite de Northumberland, qui Eques Periscelidis designatus erat.

Quo facto, Equites illi duo Garteri ordinis, de quibus ante dictum, Legatum de-
 nuo in conclave, quod consilii vocant, ea qua ante euntium
 pompa deduxerunt. Unde domum suam quif-
 que se recepit.

FINIS.

HOLMIE,
 Excudebat HEINRICVS KOSTA Typogr. Reg.
 M. DC. XXXIX.

